



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

Nanchini à nemine excip.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

Regis natalem luna Septembris decima septima celebraret ubi se Colai munere ornandum expectabat; hac fiducia hilaris, & horologio rotato quo illum donauit Riccius facile induxit animum ut stipulatoribus domesticis illum adscriberet, ac polliceretur, quam sedulo contulit suam opem, ad captandam in aula potentiam Eunuchorum. Mouit quoque illum aspectus munerum quæ Regi ferebat Riccius, quorum illic inuisa admirabilitas, & nullo sat pretio, ut quidem rebatur, æstimabilis, Regi talium auido videbatur maximè placitura, seque illorum conciliatorem, fore duplo quam esset gratiosorem, numerum potro excellentia duobus constabat triangulis vitreis, quæ de magnitudine, & colorum scena, gemmas opinabatur thesauro æquandas. Nanciani conscendit Riccius magnum sui nomen & desiderium relinquens, cum P. Caraneo, & fratribus Sebastiano Fernando, & Manuele Pereira Sinensibus, Nanchinum pronis fluminibus venerant confectis milliaribus ducentis octoginta, cum ominosa undique repulsa omni hospitio sunt exclusi; tectum nec prece, nec pretio impetrare ab vilo potuerunt; terrebat vniuersos seuera edictio quæ nuper veritum, ne cui priuatum aut publicè hospitium daretur, nisi ex habitu, orisque ac linguæ conformatione certo Sinensis probaretur; & aulam edicto præbuerant exploratores à Taicosama armato & Sinis minante, simulato Sinarum, schemate subornati. Ergo Riccius quem tota Extraneum corporis species loquebatur, sua se barca recondere, Guanus Mandarinus, sibi quoque timere; in omnem euentum prospicere; apud intimos amicorum, Magistratum primores, commendatitias ad Regem pro Riccio querere; ex quibus putabat clarum fore, hominem à se duci regno fidum, nulliusque suspectum. Verum etsi tantus esset Guanus, tantique illic imperij, & auctoritatis; neminem reperit, qui Externum Regi laudare non perhorresceret, Externis bello Regem petentibus. Rara igitur, maximè inter Sinas, fidelis amici constantia, per se statuit præstare quod per alios nequibat, suscepitque in se trepidam aleam perducendi Pechinum Riccij, profectiois interea dum adesset tempus, audiebat illum iucundissimè, & auidissimè de nostratibus literis; præsertim de Geographicis, & contemplabatur summa voluptate, molem terræ globosam, in plana extensam tabula, cum explicationibus partium singularum, elegantissimo caractere, ac stilo Sinensi; hanc Regi donum elaborauerat Riccius. Erat Guano in paucis amicus Nanchinensis Prorex Ciaus Cotaius, eminebatque inter Literatos, sed vitandæ causæ æmulationis, Chiungini, diei itinere debebat, ne quid simultatis inter ipsum & Præsides tribunalium regionum quandoque incideret, quorum maior est quam Proregum potestas. Is Guanum officij gratiâ per nobilem visens, donum illi, ut mos est, obtulit; descriptionem orbis vniuersi, quam elucubratis circum elogiis, cum eiusdem auctore, magnificentissimè laudabat, videbaturque tacitè optare ut sibi attribueretur; hanc olim Sciaochini à Riccio delineatam & editam tanti fecerat

Nanchini à
nemine ex-
cip.

10.
Singularia
cum Prorege
Nanchin. de
B. V.